



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio III. Christus Adamus secundus reparat in cruce, quod Adamus primus in paradyso destruxit in arbore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

alta montium securè ad suos perduxit, in cuius rei memoriam pergrandem Crucifixi effigiem illie locorum jussit erigi, quam conspiciens de longè veneratus sum.

Ad te nunc me verto, anime mi, dic, obsecro, quid aliud vita tua est, quam continuus cursus ad mortem? Et quò te subinde non ducent molossi isti & canes venatici, felicet tue infrunitæ passiones, concupiscentiae, carnis tumultus, dæmonum insultus & mali habitus? Igitur arborem oportet querere, quæ ab interitu te eripiat; Arbor hæc salutifera est Crux Dominica, in qua vita & salus mundi pependit, in qua Christus triumphavit, & mors mortem superavit in æternum; ad hanc, inquam, curre, quia, prout loquitur S. Ambrosius, per arborem mors, & vita per crucem.

## CONSIDERATIO III.

Christus Adamus secundus reparat in  
Cruce, quod Adamus primus in Paradiſo de-  
struxit in arbore.

Unius delicto multi mortui sunt: multò magis gratia Dei,  
& donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plu-  
res abundavit. Ad Rom. 5. 15.

i.

**P**rimus homo de humo sumptus; & ex limo creatus, à DEO creatore suo nomen accepit ADAM. Observa hic Lector prudens; Tò nomen ADAM quatuor constat litteris, quæ in græco quatuor orbis demonstrant plagas; A Anatole, id est Orientem. D Dyris Occidentem; A Arctos Aquilonem, & M Mezembria Meridiem, sed hoc, prout rerum ponderanti patet, est crucem exprimere; ita Rabanus: *Nomen primi hominis, id est, Adam in figura & forma sanctæ crucis dispositum est;* quatuor enim orbis partes ve- 12. de S. Cru- ram, seu quadratam formant crucem, & S. Hieronymus: *Ipsa, inquit, cc. species crucis, quid est aliud, nisi forma quadrata mundi?* Ut per hoc videli- S. Hieron. in Ginther. Unus pro omnibus. B. cet Marc. c. II.

cer mysterium omnibus indicaretur, non aliam Adamo & posteris ejus ad cœlestem patriam esse, & imposterum superesse viam, quam viam regiam sanctæ crucis.

**Gen. 3. 5.** 2. Adam primus peccavit per superbiam & inobedientiam, dum uxori & serpenti infernali ex pomo vetito divinam promittenti omniscientiam creditit: *Eritis sicut dei, scientes bonum & malum.* Christus Adam secundus reparavit in cruce hoc superbiae & inobedientie dephilipp. 2. 8 lictum, de quo Apostolus: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

**Rom. 5. 12.** Adam primus Auctor fuit omnium malorum, quæ in universum promanarunt genus humanum: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes mors pertransiit, in quo peccaverunt.* Christus crucifixus auctor est omnium bonorum, 1. Cor. 15. 22. gratiarum & benedictionum, immo vitae æternæ: *Sicut in Adam, ait Apostolus, omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*

**Act. 17. 26.** 3. Adam per generationem carnalem parens est omnium hominum: *Fecit DEUS ex uno omne genus humanum inhabitare super universam faciem terra.* Christus crucifixus per generationem spiritualem est verus parens noster, *qui secundum misericordiam suum magnam regeneravit nos in spem vivam &c.*

**Gen. 3. 7.** Adam post admissam prævaricationem cum uxore sua summoperè erubescerat, quod esset nudus, ideo consuerunt sibi folia fidis, ut nuditatem suam tegerent: *Cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia fidis, & fecerunt sibi perizomata.* Christus nudus in cruce pendit, ah quanta cum erubescientia & rubore, quis dicet? *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Et dilectus ille **Psal. 21. 19.** Jean. 19. 24. pretiosissimi Redemptoris nostri Discipulus: *Partiti sunt vestimenta mea sibi, & in vestem meam miserunt sortem.* Supra quod S. Ambrosius: *Resert, inquit, considerare, qualis ascendat, nudum video, talis ascendit, quales nos 10. in Lucam, auctore DEO natura formavit, talis in paradyso homo primus habitaverat, talis ad paradisum homo secundus intravit.*

**Gen. 2. 8.** 4. Adam in horto paradisi & in loco voluptatis peccavit: *Planterat autem Dominus DEUS paradisum voluntatis à principio, in quo posuit hominem, quem formaverat.* O felix ille hortus, priusquam Adam in eo peccaverat, sed ubi in eo seductus fuit, & legem DEI prævaricatus est, initium in illo omnium peccatorum à posteris commissorum & committendorum sumpsit. Christus secundus & innocentissimus Adam in horto Gethsemani suam inchoavit passionem: *Egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus &c.* Et in alio horto suam finivit passionem, ubi & sepeliri voluit, ut unde mors oriebatur, **Inde**

inde vita resurgeret: Erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus, & in Joan. 19. 41.  
horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat, ibi ergo pro-  
pter paracceyen Iudaorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Jesum.

5. Ad Adamum prævaricatorem quondam à DEO dictum est:  
*Malæ dicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vita tua: Gen. 3. 18.*  
spinas & tribulos germinabit tibi: in sudore vultus tui vesebris pane. Considera nunc novum Adamum, quomodo per crucem & passionem suam terræ maledictæ de novo benedixerit: *Benedixisti Domine terram tuam &c. Psal. 84. 1.*  
*Remissisti iniquitatem plebis tuae &c.* Vide, ac perpende insuper prædictas Protoplasti poenæ, quas ipse secundus Adam in laboribus à juventute sua *Psalm. 27. 16.* patientissimo animo sustinuit. Bone DEUS! quot spines pungentes ac tribulos illi germinavit Hebraica tellus? Vide quantum sudaverit per omnem vitam ovem querendo perditam, in monte Olivario, sub gravissimo crucis aratro, ac tandem in colle Golgothæo pendens in ligno.

6. De Adam resert ulterius Scriptura, quod præ pudore & confusione, ac præfertim ob metum divini judicii inter densissimas paradisi arbores se absconderit: *Abscondit se in medio ligni.* Christus cùm ad *Gen. 3. 8.* necem & judicium quereretur, non se abscondit, sed ipse ultrò militibus ac hostibus suis obviā processit, tradens se ipse voluntariè in manus peccatorum: *Iesus itaque sciens omnia, quæ ventura erant super Iom. 18. 4.* eum, processit, & dixit eis: Quem queritis?

Adam, ubi de ligno scientia boni & mali comedit, mox, conscientiâ animum illius acerrimè stimulante, advertit, in quantam misericordiam voraginem ipse & genus universum humanum devenisset, unde fugam meditanti venit in occursum ipse Dominus ad auram post meridiem, Protoplustum reum ad se vocans: *Ubi es?* Supra quod *S. Gen. 3. 9.* Irenæus: *Illud, inquit, significabat, quod Christus ad mundi vesperam ventus.* *S. Irenæus hic rus esset ad redimendum Adam, ejusque posteros.* Et quia Adam in arbore apud Conad verita peccavit, Christus DEI Filius in arbore infami passus est, ubi jam tune in paradiſo, prout observat Ecclesia: *Ipse lignum tunc notavit, damna ligni ut solveret, & medelam ferret inde, hostis unde laſerat.*

7. Adam tandem è paradiſo per justissimam sententiam fuit eliminatus: *Ejectusque Adam, & collocauit ante paradiſum voluntatis Cherubim,* *Gen. 3. 24.* qui illum, prout vult S. Augustinus, vel manu eduxit, ut Raphael Tobiam, vel abripuit, ut Angelus Habacuc ex Judæa in Babylonem transportavit, ut Danieli ferret prandium &c. Christus pari modo ex civitate Hierosolymitana cum crucis pondere ejectus & eductus est, & quidem eadem horâ & feriâ sextâ, ubi Adam peccavit, crucifixus, & circa horam nonam diei in cruce pro salute mundi mortuus est:

Beda & alii Rationis, ait V. Beda, imò divina pietatis ordo poscebat, ut quā horā primus apud Cornel. Adam peccando mortem huic mundo invexerat, eādem horā secundus Adam mortem moriendo destrueret.

8. De Adamo commemorant ulterius SS. Patres, quōd illius casus Ambros. in put seu cranium in Calvariae monte fuerit sepultum: Congruebat, ait S. c. 23. Lucæ. Ambrosius, ut ibi vita nostra primitia locarentur, ubi fuerant mortis exordia, Quod Adami cranium Christus ibidem suo sanguine de cruce copiose fillante à forde peccati mundavit, & ad vitæ gratiam misericorditer Ephes. 4. 14 revocavit juxta illud: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit Molanus cap. te Christus. Et ideo existimat Molanus & alii, hunc mortem in Ecclesia 78. de Imaginibus. DEI provenisse, quōd sub Crucifixi Domini iconibus ac statuis quedam calvaria appingi, aut adsculpi soleat, per quam Adam sub crucis truncu sepultus, & à Christo redemptus significatur.

9. Adam denique fuit expressa figura & typus Christi, ita Apostolus in Epistola, quam scripsit ad Romanos: Qui est forma futuri, hoc est venturi Christi in hunc mundum. Adam ex terra virgine, & non maledicta sine virili semine à DEO procreatus est; ita Christus ex Matre Virgine nunquam maledicta, sed semper benedicta terra per virtutem Spiritus Sancti generatus est: Quod nascitur ex te Sancuum, vocabitur Filius DEI. Adam fuit caput & sponsus Evæ: Sub viri potestate eris: Christus est caput & sponsus Ecclesie sue, quam redemit in sanguine suo: Christus est caput Ecclesie. Ex Adami dormientis latere & costa Eva formata est: Inmisit ergo Dominus Deus soporem in Adam; cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, & replevit carnem pro ea, & adificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem. Ex Christo Domino, ubi in cruce obdormivit, & latus ejus lancea apertum est, Ecclesia Mater eundorum viventium prodiit; ita S. Augustinus: Ascendat, inquit, Sponsus noster thalami sui lectum, dormiat moriendo, aperiatur ei latus, & Ecclesia prodeat virgo: ut quomodo Eva facta est ex latere Adæ dormientis, ita Ecclesia formetur ex latere Christi in cruce pendens. O anima Christiana! vide, & considera, in veritate Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia.

Adam denique à DEO præfectus est omnibus corporeis creaturis, tanquam Dominas universorum in terra. Quanta dignitas! & tamen illam perdidit unico pomi morsu; sed egit post lapsum per annos 930. amarissimam pœnitentiam, & ideo piè creditur, quōd fuerit salvus, & inter illos Sanctos, qui cum Christo surrexerunt, & nunc in cœlo sit testis fideli passionis & redemptionis generis humani. Major, imò omnis potestas data est Christo in cœlo & in terra, de quo

quo S. Leo Papa: *Quod cecidit in Adam primo, erigitur in secundo: Pro-* <sup>Philipp. 2. 9.</sup>  
pter quod & DEUS exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod  
est super omne nomen, ut in nomine JESU omne genu  
flectatur &c.

## CONSIDERATIO IV.

Christus Crucifixus justus Abel, jam ab  
origine mundi in suis typis occisus, &  
crucifixus.

*Consurrexit Cain adversus fratrem suum Abel, & in-  
terfecit eum. Gen. 4. 8.*

**A**bel virgo, Sacerdos & Martyr primam post Adamum me-  
ruit præferre Christi Crucifixi figuram, dum primus in  
patenti campo erexit aram, in qua DEO optima ac pinguissima  
gregis sui primogenita, hoc est; Agnos litavit: *Abel ob-* <sup>Gen. 4. 4.</sup>  
*rulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum;* Cain vero  
agricola munera tantum aliqua absœleta de frugibus terræ DEO suo  
præsentavit: *Factum est autem post multos dies, ut offerret Cain de fructibus*  
*terra numerā Domino.*

Inspiciamus modò, quām gratum & acceptum utriusque sacri-  
ficiū DEO acciderit; de victima Abeli testatur Scriptura: *Respexit*  
*Dominus ad Abel, & ad munera ejus, dum scilicet igne de cœlo lapso il-*  
*lius sacrificium probavit & absumpsiit, Caini vero munera prorsus in-*  
*tacta relinques contempsit, & faciem ab eis avertit: Ad Cain autem*  
*& ad munera ejus non respexit, Et quare hoc? nunquid apud DÉUM est*  
*respectus personarum?*

Causam hujus mysterii subjungit Rupertus Abbas in Genesin, tibi Rupert. Abb.  
docet, Abelem hoc suo sacrificio præsignasse, & quodammodo præcur- <sup>hic in Gen.</sup>  
risse sacrificium Crucis, offerebat enim agnos immaculatos & opti-  
mos: *In quibus, ait doctissimus Quaresmius, Christi sacrificium & sacra Quaresim. 10.*  
*valne. 1. c. 3. l. c. 2.*